



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Rvbricae Sev Instrvctiones Generales. Pro benedictionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

sto, qui cum patre, & Spiritu sancto ui-
uit, & regnat Deus, per omnia sæcula se-
culorum. R. Amen.

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie
eleison. V. Benedicat & exaudiat nos Deus.

R. Amen.

V. Procedamus cum pace.

R. In nomine Christi.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Tum aspergendo sponfos aqua bene-
dicta, dicat.

V. Pax & benedictio Dei omnipotentis
Patris, & Filii, & Spiritus sancti
descendat super vos, & maneat sem-
per. R. Amen.

Peracta benedictione sponfos hoc mo-
nebit, ut nocte saltem sequenti in casti-
tate & uirginitate permaneant, propter
reuerentiam ipsius benedictionis. Ca-
ueant uero omnino ut supra dictum est,
saltationes, & tripudia, aliaque omnia
matrimonij sanctitati repugnantia.

Si thalamo nuptiali benedicendum est, Pa-
rochus benedicet ex scripta formula.

RUBRICÆ SEU INSTRV-
ctiones Generales.

Pro benedictionibus.

IN omni benedictione sacerdos super
pelliceo, & stola præterea pro ratio-
ne temporis utetur, nisi aliter notabitur.
Stando semper benedicet, non sedendo,
aut genuflectendo; & capite aperto.

In principio cuiuscunq; benedictio-
nis dicet quæ sequuntur; & dum dicit:
Deus in adiutorium, signum Crucis ad-
hibeat.

V. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adiuuandum me festina.

V. Gloria Patri & Filio, & Spiritui san-
cto. R. Sicut erat in principio, &c.

Halleluia. In quadragesima omisso halle-
luia, dicatur Laus tibi domine; rex æter-
næ gloriæ.

Kyrie, eleison, Kyrie eleison, Kyrie
eleison.

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Postea oratio, uel orationes propriæ.

In fine benedictionis semper dicat:

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleif. Kyrie eleif.

V. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

R. Amen.

V. Procedamus cum pace.

R. In nomine Christi.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Postea aspergat aqua benedicta ter res;

primò in medio, secundò à parte dexte-
ra, tertio à parte sinistra, nihil dicendo;

nisi in proprijs locis aliter notetur.

Cum sacerdos aliquid benedicturus

est, habeat duos clericos: quorum vnus,

uas aque benedictæ cum aspergillo, al-

ter uero librum hunc ritualem teneat;

aut vnũ saltem, qui ei actioni inferuiat.

Benedicet in Ecclesia ad altare stans in

cornu Epistolæ, aut etiam in Sacristia

ad mensam decentem, pro ratione co-

rum quæ benedicuntur.

Sed caueat, nè benedictionis gratia po-

nat aliquid indecens super Altare, ueluti

esculenta: sed quod eiusmodi est, ponat

super aliquod scamnum paratum loco

commodo.

I N S T R U C T I O N E S

Ad funera ducenda,

Et alia officia mortuis præstanda, ma-
ximè ex Concil. Prouinc.

De tempore sepeliendorum corporum.

NE corpus aliquod sepeliatur, nisi
duodecim saltem horis postquam
spiritum exhalauerit. Verùm si quem de
improviso mors, aut morbi alicuius re-
pentina uis occupauit, is ne in sepulcrũ
inferatur antè uigesimam quartam hu-
iusmodi repentini euentus horam, nisi
Archiepiscopus aliter ex causa conce-
serit.

Antè solis ortum, & post occasum, mor-
tuus ad sepulturam ne efferatur; neue
inter maioris Missæ celebrationem,
quæ de tempore sit, in Ecclesiam in-
feratur.

Aptissi-

Prou. 6. 12
quæ ad fun-
per 6.
Deleturum-
309.

Pro 6. 12
fun. pag. 31